



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Angelus Carmelita. 5. Maii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

290 VITÆ SANCTORUM. 5. Maii.  
clamaret: *Quid hoc? quid audisti? sur-  
gunt indocti & cælum rapiunt: & nos cum  
doctrinis nostris volutamur in carne & san-  
guine? Sub hæc luctanti cum animo suo  
in conspectum se castitas dedit, ingenti  
omnium ordinum ac ætatum coronâ cin-  
cta, digitoque nunc senes aut viros, nunc  
pueros aut puellas signans, Et tu, aiebat,  
non poteris quod isti aut ista? mox e cælo  
etiam vox istiusmodi allapsa: Tolle lege.  
Sustulit ille, legitque: non in commessa-  
tionibus & ebrietatibus, non in cubilibus  
& impudiciis, non in contentione & a-  
mulatione: sed induimini Iesum Chri-  
stum. Legit inquam hæc, & ex Mani-  
cheo Catholicus, ex Rhetore Eccle-  
siae Doctor, ex mundi amatore summo  
fummus contemptor evasit. At nos  
qui eadem & audimus & legimus, mo-  
ræ moris nequimus, dicitq; e cælo nobis  
ipse Divus, quæ sibi olim dicebat: *An quia  
precesserunt, pudet sequi? & non pudet nec  
saltem sequi? Ex ipsius D. August. Confess.**

*Si aurum tibi offeram, non mihi dicitis:  
Cras veniam; sed jam exigis; nemo differt,  
nemo excusat. Redemptio anima promitti-  
tur, & nemo festinat. S. Amb. in serm. de  
Iejun. & Elecmof.*

S. ANGELUS CARMELITA. 5. Maii.

**R**ofam è spinis habe, ANGELUM,  
inquam, e parente utroque Judæo.  
Je-



5. Maii. VITÆ SANCTORUM. 291  
Jerosolymis natum. Sed quid dico? ipsæ  
hæ spinæ in rosas abierunt, cum Cæli  
Regina Magistræ his in fide se præ-  
buit, geminamque illis prolem Joan-  
nem Patriarcham, ANGELUM que no-  
strum Martyrem est vaticinata. Ergo  
cum ad templum Christianorum se rece-  
pissent, ibique in sublimi hostiâ talem  
Christum, qualis olim à cruce pende-  
bat, non dubiis jam oculis vidissent, Christo  
geniti Joannem primum, tum ANGELUM  
genuerunt. Hic altioris vitæ ru-  
dimenta in monte posuit Carmelo, qui  
& nomen illi dedit. Abhinc in seipsum  
primò, deinde in cremum descendit,  
ubi cum solum se crederet, adesse sibi  
vidit Jesum, multo maximo SS. agmi-  
ne stipatum, & jubentem, victorias  
suas Alexandriam ferret, inde ad pal-  
mam in Siciliam contenderet. Huc  
priusquam Româ iret, DD. Franciscum  
& Dominicum felici pede offendit. Nam  
Franciscus repente plenus Numine fa-  
tidico ad pedes ANGELI accidit, of-  
culoque his fixo, martyrem voce gratu-  
labundâ salutavit. Sed & hunc vati suo  
vatem fuisse ajunt, & jam tum cæli no-  
mine promississe Francisco illa vulnera  
honestissima, alterû haud dubiè nec mi-  
nùs nobile martyrium. Cæterum in Sici-  
liam appulsus, cum Berengarium Comi-  
tem incestâ cum sorore cõsuetudine mul-  
tis jam annis infamem clam primò; tum



292 VITA SANCTORUM. 5. Mart.  
palam castigasset, immisâ hæreticorum  
manu, in ipso templo, plura vulnera pro  
concione interque hæc lethale accepit.  
Atque ex hoc paulo post mortuus, ad  
cognomines abiit ANGELUS. Ex Brev.  
13. tom. Ann. Eccl. & Ferr.

Quid ultra debuit facere Christus & non  
fecit? Cujus vel saxum pectus tanta & ta-  
lis, à tanto & tali collata multitudo bene-  
ficiorum non emolliat? quidquid igitur  
es, quidquid potes, debis creanti, redi-  
menti, vocanti. S. Bern. super illud,  
Regnum Dei, &c.

S. JUTTA VIDUA. 5. Maii.

QUI JUTTAM legis, legentem lege.  
Nam & ille à teneris vitas legere Di-  
vorum gaudebat; sed &, quod pauci  
facimus, facere gaudebat, quæ legerat.  
Nubilem jam & fugam è mundo medi-  
tantem, nuptiæ illustres implicarunt, ne-  
que tamen manus virtuti ligarunt. Mun-  
dum omnem muliebrem, quem à paren-  
tibus & ipsis illustribus nobilissimum  
acceperat, ad vestienda ornandaque  
menducabula omnem contulit, rectè  
non pulchrius micare gemmas & unio-  
nes rata, quam in pauperis Christi cen-  
tonibus. Jamque eò devenerat, ut deco-  
ctâ ingenti dote, necessaria ad vitam  
mendicare ipsa non sine risu improbo-  
rum cogeret. Sed laudavit Christus  
hanc